

8.54.26

*Idem A. Aconio Catullino proconsuli Africae.*

Si quis in emancipatum minorem, priusquam fari possit aut habere rei quae sibi donatur adfectum, fundum crediderit conferendum, omne ius compleat instrumentis ante praemissis.

1 ¶ Quod propter attestacionem fidei, per eum servum, quem idoneum esse constiterit, transigi placuit, ut per eum infanti adquiratur.

*D. XII k. Mai. Serdicae Sabino et Rufino consss.*

[a. 316]

8.54.27

*Idem A. ad Severum comitem Hispaniarum.*

Data iam pridem lege statuimus, ut donationes interveniente actorum testificatione conficiantur, quod vel maxime inter necessarias coniunctissimasque personas convenit custodiri. Si quidem clandestinis ac domesticis fraudibus facile quidvis pro negotii opportunitate configi potest, vel id quod vere gestum est aboleri.

1 ¶ Cum igitur ne liberos quidem ac parentes lex nostra ab actorum confectione secernat, id, quod necessario super donationibus apud acta conficiendis iam pridem statuimus, universos teneat.

2 ¶ Gesta autem confici super rebus etiam alibi collocatis ubicumque sufficit.

*D. IIII non. Mai. Constantinopoli Dalmatio et Zenophilo consss.*

[a. 333]

8.54.28

*Impp. Honorius et Theodosius AA. Monaxio pp.*

Quisquis rem aliquam donando vel in dotem dando vel vendendo usum fructum eius retinuerit, etiamsi stipulatus non fuerit, eam continuo tradidisse credatur, ne quid amplius requiratur, quo magis videatur facta traditio, sed omnimodo idem sit in his causis usum fructum retinere, quod tradere.

*D. prid. id. Mart. Constantinopoli Honorio A. XI et Constantio II consss. [a. 417]*

8.54.29

*Impp. Theodosius et Valentinianus AA. Hierio pp.*

In extraneos et saepe ignotos donationem collatam valere receptum est: et si sine scripto donatum quod fuerit, adhibitis aliis idoneis documentis hoc quod geritur comprobetur.

*D. XI k. Mai. Felice et Tauro consss.*

[a. 428]